

# Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

## Decretum

N. 48091/13 CA<sup>1</sup>

**Amotionis ab officio vice-cancellarii**

(D.dus [X] – Congregatio pro Clericis)

D.nus [X], apparitor Ministerii defensionis apud Rem publicam [A], decreto diei 1 februarii 2002 ad officium vice-cancellarii Ordinariatus militaris in [A] nominatus est. Constituto autem novo cancellario et translata eius sede in Curiam Ordinariatus, Ordinarius militaris, Exc.mus [Y], D.num [X] decreto diei 31 octobris 2012 ab officio amovit.

Recepto decreto, quo Exc.mus Ordinarius militaris remonstrationem reiecit, D.nus [X] die 21 novembris 2012 recursum hierarchicum apud Congregationem pro Clericis interposuit, quae eum die 27 maii reiecit. Quod tandem adversus decretum ipse die 18 iunii 2013 ad H.S.T. provocavit.

Quibus praehabitis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Praemisso quod:

- Obiectum recursus apud H.S.T. solummodo esse potest amotio

<sup>1</sup> Il presente decreto è successivo alla decisione della Congregazione per il Clero già pubblicata sul *Monitor Ecclesiasticus* (CXXX [2015], 115-118) e commentata dal prof. Martin Rehak.

ab officio vice-cancellarii ab Exc.mo Ordinario militari decreta, non autem translatio ad aliud officium civile ope ministerii Rei publicae [A], etiam si amissio officii ecclesiastici ad rem praetextum praebuit;

- Ordinarius ad normam can. 485 cancellarium "libere" ab officio amovere potest; ad rem iuxta H.S.T. iurisprudentiam ne iusta quidem causa requiritur: «Episcopus libere potest amovere ab aliquibus officiis, quae specialem fiduciam personalem secumferunt, qualia sunt officia cancellarii et notarii. Quamquam "libere" non idem significat ac "arbitrarie", lex intendit ut Episcopus possit disponere de personis fungentibus his muneribus etiam propter difficultates mere personales. Quoad alia vero officia requiritur ut causa adsit, quandoque iusta, quandoque autem gravis» (Sententia def. coram Echeverría, 3 dec. 2005, Prot. N. 33236/02 CA, n. 7);

- In Statutis Ordinariatus militaris anni 1989 in art. 4.1.4 tantum sermo fit de officio cancellarii, nullo verbo facto de vice-cancellario, scilicet de adiutore cancellarii (cf. can. 482, § 2);

Perpenso quod:

- Iudicium de necessitate praefati officii spectat ad Exc.mum Ordinarium;

- Nominatio novi cancellarii et translatio sedis eius iuxta Exc.mum [Y] necessitatem officii vice-cancellarii abstulit, quam decisionem Congregatio pro Clericis in impugnato decreto confirmavit;

Quoad assertam violationem iuris defensionis perspecto quod:

- In casu non requirebatur praevia admonitio vel auditio Recurrentis, cum nominatio novi cancellarii et reordinatio Curiae Ordinariatus notoria erant, eo vel magis, quod can. 50 praevidiam auditio-nem non absolute praescribit;

- Rev.dus Recurrens in recursu hierarchico coram Congregatione fuse argumenta explanavit et quinque documenta recursui ad-nexit;

- Nec constat ex statutis Ordinariatus de necessaria consultatione auctoritatis civilis;

Animadverso quod minime in periculum vocatur sustentatio

D.ni [X], qui salarium ex officio civili percipere pergit;

Relate ad propositam quaestionem de reparatione damnorum ob assertam laesionem bonae famaе (cf. can. 220), considerato quod:

- Reordinatio officiorum Curiae et abolitio officii vice-cancellarii motiva amotionis constituerunt, quae, utpote notoria, diffamatoria haberi nequeunt;

- Non constat, utique, de violatione legis in amotione, quam ob rem nec agendum est de damnorum refectione (cf. art. 123, § 2 Const. Ap. *Pastor bonus*).

Cum proinde non appareat ullum indicium violationis legis sive in procedendo sive in decernendo;

Re sedulo examini praeliminari subiecta;

Auditis Rev.mo Promotore Iustitiae et Rev.do Promotore Iustitiae Substituto;

Vi art. 76, § 1 *Legis propriae* H.S.T.,

decrevit:

**Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob evidentem defectum fundamenti.**

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum intra peremptorium decem dierum terminum ab eodem recepto (cf. art. 76, § 3 *Legis propriae* H.S.T.).

Et notificetur omnibus, quorum interest, ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e Sede huius Supremi Tribunalis, die 23 iulii 2013.

+ Franciscus Daneels, o.praem., *Secretarius*  
Iosephus Ferdinandus Mejia Yañez, M.G., *Moderator Cancellariae*